



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 107. Pax Ducem inter & Civitatem honestis utrinque conditionibus
conciliata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

Sæc. XVII. fugam egit, castrisque propius admo-
A. C. 1615. tis, captisque aliquot propugnaculis
 die vigesima prima Augusti urbem toto
 armorum apparatu obsidere cæpit, tor-
 mentorum disposure ad septem circiter
 hebdomades non sine ingenti urbis dam-
 no continuata: Nec suis tamen parti-
 bus defuere oppidani, qui iterata erup-
 tione facta die prima Septembris Olbe-
 rinam etiam munitionem occuparunt.
 Re comperta mox accurrit Vustrovius,
 qui tamen a civibus glande plumbea tra-
 jectus occubuit: vicissim quoque Con-
 sulum alter eodem fato periit, nec ta-
 men inde territi cives, intromissis Fri-
 derici Comitis auxiliaribus copiis, die
 vigesima quarta Septembris Ducem,
 qui irruptionem tum tentaverat, non
 sine magna suorum clade repulerunt.

§. CVII.

*Pax Ducem inter & Civitatem hone-
 stis utrinque conditionibus con-
 ciliata.*

*Merteran.
 l. 32. p. 155.*

Cum interim Dux in suos subditos, &
 hi in suum Principem mutua clade
 grassari certarent, Mauritius Hassiæ
 Landgravius pacis arbitrum agere con-
 stituit, hancque in rem ad Brunsvicen-
 sis Ducis castra Legatos decrevit, pa-
 cis negotio operam daturos. Ea de
 re

re Daniæ Rex quantocius obsessos certiores reddens petiit, ut suos & ipsi Legatos transigendi potestate instructos Guelpherbitum nulla mora ablegarent. Hi vero se inconsultis sibi foederatis nil decernere posse respondebant, ea tamen de re Molierum Secretarium, unacum Ministro Protestante & tubicine ad socias civitates destinarunt, ut earum responsum consiliumque exquirerent. His igitur pariter in pacis studia inclinantibus, primo de induciis & publicæ fidei literis utrinque concedendis actum est. Hanc in rem Cæsaris Deputati unacum Hassiæ Legatis Giffornam, ubi Solmenis Comes cum Anseaticis copiis substiterat, profecti sunt. Interea vero Brunvicensis Dux urbis obsidionem tanto impetu urgebat, ut obsessi ad incitas ferme redacti deditioem facere coacti fuissent, nisi Joannes Georgius Solmenis Dux in opem accurrens urbem periculo metuque liberasset, quamvis & ipse a suis desertus, a Brunsvicensi Duce captus esset: quoniam vero eodem tempore ejus frater post cruentam utrinque pugnam obsessos novis militum suppetiis erexerat, hi audaciores inde facti, spretis Daniæ Regis hortationibus inducias cum Duce inire recusabant: tandem vero die trigesima Octobris Fridericus Dux, sollicitantibus

Sæc. XVII.
A. C. 1615.

*Newill. hist.
d' Hollan.
tom. I. p. 97.*

Sæc. XVII A.C. 1615 bus Cæsare, Daniæ & Angliæ Regibus, se soluta obsidione exercitum omnem abducturum spondebat, dummodo cives quoque ab armis cessarent: hacigitur ratione die vigesima prima Decembris inter Fridericum Ulricum Brunsvicensem Ducem, & civitatem Steterburgi pax his pactis conclusa est. I. Dux omnia civitatis privilegia, jura atque immunitates salvas servet. II. Senatus, civesque Duci fidelitatis homagium exsolvant, eumque pro legitimo suo Duce habeant. III. Pacta jam olim cum civibus inita, salva permaneant. IV. Ceteræ lites circa Ducis jurisdictionem Cæsarei tribunalis iudicio decidantur. V. Denique, omnia in pristinum statum redigantur. Ceterum toto obsidionis tempore ex Ducis exercitu duodecies mille, ex civibus vero tricies mille partim periere, partim vulnerati sunt.

§. CVIII.

Lutheranorum ausus a Cæsare repressi.

Merc. Gallobelg. t. 10. l. 3. - Struxerant Pragenses Lutherani jam anno priori novum quoddam Templum, quod titulo *Salvatoris* honestabant, ac die quinta Octobris quadam Catholicæ consuetudinis imitatione, ple-